DE SCARLATINAE ORIGINE ET PROPAGATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. MENS. IANUARII A. MDCCCXXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRIDER. AUGUST. BEILSCHMIDT
POSTAMPIENSIS.

OPPONENTIBUS:

E. POMMER, MED. ET CHIR. DD.
H. DUHM, MED. ET CHIR. DD.
L. GERHARDY, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

JOS. BUETTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS REGII BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI A CONSILIIS INTIMIS, INSTITUTI REGII MEDICO - CHIRURGICI FRIDERICI GUILELMI ATQUE ACADEMIAE MEDICO - CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN SECUNDA CLASSE CUM QUERNA FRONDE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS SUECICI VASANI ORDINISQUE BELGICI EQUITI AURATO MULTARUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

FAUTORI SUMME VENERANDO

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum in eo essem, ut patrio mori satisfacturus ad summos in medicina et chirurgia honores rite impetrandos, dissertatiunculam conscriberem, multum hercle diuque haesitavi, quamnam potissimum materiem ex immensa rerum medicarum copia exponendam eligerem, et in quanam maxime re, quae nec gravior sit humeris tironis, studium meum et laborem collocarem. Quibus in angustiis est optimum visum ad consilium prudentiamque clarorum virorum confugere. Itaque ex auctoritate V. A. Heckeri, magistri mei ac praeceptoris, qui, quae est ejus nota benevolentia, quae desiderabam, lubenter mihi praebuit, de epidemiis scarlatinae disserere statui. Qua de re quum multos libros pervolvissem ac nossem jam fere, quae vellem dicere, inopinanti mihi duae haud exiguae sese obtulerunt difficultates. Primum

enim multos eosque celeberrimos de eadem re, quae non facilis videretur esse, multa jam eaque adeo praeclare et egregie scripsisse inveni, ut desperarem fere, narraturum me, quae vel essent nova, necdum explicata ab aliis, vel veresimile aliquid in se continerent. Accessit, ut fontes sensim deficerent, neque ullus labor ullumque studium libros deficientes videretur posse compensare. Quare, ut exemplum afferam, in describendo garotillo Mercato solo, quem accipere potui, uti licuit, quae cetera ea de re dixi singula ex multis libris collocata sunt. Quum autem finis hujus dissertatiunculae videretur excedi, singulis singulas scarlatinae epidemias capitibus persequi, quomodo primum appareret, ac quae esset prima epidemia explicuisse satis habui. Quodsi jam acciderit fortasse, ut aliqua, quae et nova viderentur nec esse improbabilia, dixerim, satis contentus, nec laborem meum inutilem, nec studium male collocatum esse arbitrer.

Quum studium epidemiarum singulorum morborum hac proxima aetate parum accurate a medicis esset tractatum, morbus ille cholera, qui quum gentibus tum medicis tantam stragem intulit, denuo ad genus illud amplectendum incitavit. Quare non est inutile visum, diligentius et accuratius disquirere, quomodo orta et divulgata paullatim sit scarlatina, quae quamvis nunquam fere magnae parti terrae cognitae fuisset perniciosa, tamen singulis gentibus saepe dimidiam partem infantium abstulerit. In quo, si primum de aetate quaerimus, difficilis sane est res, praesertim si juvenis sit medicus; doctrinam enim exanthematum, et praecipue eorum, quae febris comitaretur, quum parum curarent veteres Graeci, desunt etiam, quae ut certa de iis possimus pronunciare. Nec minus Arabes et medici, qui decimo tertio et quinto saeculo vixerunt, ne in iis multis versarentur verebantur, quae Galeni placitis non viderentur convenire. Brevi igitur sufficiet commemorare scriptorum locos, qui a multis prima scarlatinae vesti-

gia continere dicuntur, et id simul praemonuisse me quidem apud Graecos nihil, quod istud probet, invenisse. Malfettius, celeberrimus medicus, pestilentiam a Thucydide descriptam scarlatinam fuisse arbitratus, quam opinionem quum longum sit refellere, satis habeo ea, quae Heckerius et Sprengelius ea de re scripserunt, laudasse. Porro nullis fere firmis argumentis potest stabiliri, ulcera Aegyptiaca, quae Aretaeus Cappadox saeculo secundo p. Ch. n. descripsit, fuisse conjuncta cum exanthemate scarlatinoso, nec magis hoc exanthema ab ulceribus illis malignis, quae Aëtius saeculo qûinto, qui Aretaei paene verba reddidit, dicit se observasse, fuisse stipatum. Paullo propius accedit ad veri similitudinem, Arabes saeculo undecimo nosse hanc rubiginem, quum et Avicenna dicat, fuisse tum simul cum variolis et morbillis etiam aliud exanthema Alhumeram sive Alhamicam vocatum, quod cum utroque haberet similitudinem quandam, et quum postea proposuerim mihi demonstrare, scarlatinam saepissime una cum illis morbis exstitisse. Unde non absurdum videtur contendere, fuisse quidem Avicennae tempore scarlatinam, sed nondum tam disjunctam, ut pro singulari morbo possit haberi.

Mostius (1) adhuc alium ex Arabibus profert, Ali seu Hali, qui ex sua sententia scarlatinam de-

(1) Most, Geschichte des Scharlachfiebers. 1826. II. B. S. 23.

pinxit, verba ejus sunt quae sequuntur. In rubore species est aliqua, quae rubeola vocatur, quae ex sanguine fit calido, subtilis nec unquam periculosa. Quae cum ad statum pervenerit, similis fit milii granis vel paulo major, et color ejus rubeus, nec aperiuntur pustulae, neque fluunt. Communia sunt, febris, faciei tumor, temporum et auricularum prurigo, in naso inflammatio et in gurgulatione asperitas. In quibus nihil aliud quam morbillos animadvertere possum.

Primus scriptor, qui satis accuratam ejus descriptionem exhibeat, est Joannes Ingrassias (1), medicus Neapolitanus, in libro quem scripsit de humoribus praeternaturalibus. Dicit enim ibi, jam ante saeculum decimum quintum hunc morbum notum fuisse medicis, nominarique Rossaliam sive Rossaniam. Quum autem plerumque cum variolis morbillisque conjuncta esset, studiose novam speciem ab illis discernere quaerit et his fere utitur verbis: Praeter ambas species (scil: morbillos et variolas) alias adhuc duas passim advenire conspeximus, quarum altera nuper a vulgaribus Rossania vel Rossalia vocatur, alteram vero crystallos vocant. Illam idcirco Rossaliam nuncupant, quoniam maculae per universum corpus plurimae magnae et parvae, ignitae ac rubrae cum vix effatu digno tumore, instar multorum

(1) Ingrassias, Joh., de humoribus praeternaturalibus. Neap. 1552. P. 194.

seorsim erysipelatorum, dispersae sunt, ut totum corpus ignitum appareat. Porro memorat, antecedere febrim maximeque parvulos pati infantes. Quamvis hic nec anginae nec desquamationis cutis mentio injiciatur, tamen cum exanthema accurate admodum diligenterque describatur, et qua re differant variolae et morbilli praeclare definiatur, veresimillimum esse arbitror scarlatinam dici, nec satis gnavia esse argumenta, quae, ut Pfeufferus (1) et Fuchsius (2) volunt, eam urticariae speciem fuisse ostendant. Assentiunt autem meae sententiae Sennertus et de Haen (3).

Si porro quae tum fuerit tempestas, quaerimus anno millesimo quingentesimo primo magnam aquarum eluvionem fuisse invenimus, quae sequenti in Italia calidissima aestate, easdem tum corporum affectiones fuisse demonstrant, ac quum in Hispania erumperet garotillo. Prosper Martianus diserte narrat neminem eo morbo perire, itaque haud absurdum fuerit contendere, anginam aut omnino non aut exiguam saltem affuisse. Anno millesimo quingentesimo decimo septimo in regione, quae est circa Amstelodamum, grassabatur angina quaedam pestifera,

---

(1) Pfeuffer. Der Scharlach, sein Wesen und seine Behandlung. 1819. 8. p. 3.

(2) Fuchs, C. H. Untersuchungen über angina maligna in Verbindung zum Scharlach und Croup. 1828. 8. p. 23.

(3) de Haen, Lib. de febrium divisione.

cujus accuratam descriptionem Forestus (1) nobis reliquit. In qua quamvis omnia indicia, quae propria sint scarlatinae, desint, non videtur cum Villanio Reichio Mostioque pro angina maligna, sed, ut equidem ex descriptione illa concipio, pro influenza gravissima habenda esse.

Anno 1564—65 in Germania australi grassabatur scarlatina anginosa, quam Wierus (2) proxime antecessisse narrat variolas et morbillos epidemicumque catarrhum et infantes maxime eam petiisse, praeterque anginam cum febri vehementi, vomitu et glandularum parotidum tumore maculisque erysipelatodi exanthemati similibus fuisse conjunctam. Aliquot annis post eundem morbum Ballo-

---

(1) Forestus, Opera omnia, Lib. VI. obs. 59 et 61. Aliter se habuit dolor gutturis, tum inflammatio, in illa angina epidemica, immo pestifera et adeo maligna et contagiosa, quae tempore M. Joan. Tyengii Amstelodamiensis Medici celebrioris, in multis circa principium anni 1517 grassabatur, ut quibus intra sex vel octo horas apta remedia non adhibebantur, ante sedecim, vel viginti horas subito morerentur; neque aliquis evadebat, (ut perhibetur in ejus libello propria manu scripto) si medico docto non uteretur. Erat autem materia, in illo morbo populari, ita furiosa, ut uno momento tanta anhelitus difficultas, cordisque angustia, et dolor in collo appareret, ut aegrotus strangulari mox videretur: quibus symptomatibus rursum cessantibus, moxque redeuntibus, cum materia adeo maligna, venenosa, per musculos colli tum pectoris, uno icto trajiceretur, multi suffocabantur.

(2) Wierus Obs. Medic. rariorum et Schenkii observationes Lib. VI. p. 775.

nius (1) Parisiis fuisse commemorat, eumque dum depinxit, efflorescentiam similem fuisse dicit rubori subito toti corpori suffuso, nec id nisi praecedente febri, ullius momenti esse faciendum, quum eo multae mulieres atque infantes sint petiti, apud quos postea nec febris nec dolores nec ulla alia molestia apparuerunt. Praecipua autem symptomata his fere verbis indicat. Quum hiems 1574—1575 austrina fuisset, morbillorum, variolarum exanthematum et rubeolarum copia erat. Uvulae inflammationes multis et deglutiendi difficultas, aliquando faucium exulcerationes, alias angina quaedam sicca (ut vocat Hippocrates) per erysipelatodon phlogosin, suffocatio inde. Multis et parotides comites et praecedunt et sequuntur, quae non sunt semper metuendae. Praeterea de exanthemate nonnulla meminit. Alvi enim aliquando adstrictio est, aliquando foeda illuvies, corporis pruritus et velut acicularum puncturae. Gravidae hunc in morbum incidentes facile aboriuntur; duae uxores morbo affectae facile aboriuntur, uxor Bodini septimestrem partum excussit vi morbi, eodem modo maculatum, quo mater. Deinde etiam mortalitatis mentionem fecit, cui praecipue infantes subjectae erant. Et haec quidem diversis aborta sunt annis, nunquam tamen majore cum clade, quam autumno 1575 feracissimo exanthematum puc-

(1) Ballonius, Epidem. et Ephemer. Lib. I. p. 36.

rilium, ex qua peribant omnes et non proficiebat hilum ars ea, quae auxilio multis esse solet.

Anno 1589 Smetius (1) medicinae Professor Heidelbergensis morbi genus describit, quod scarlatinae nostrae adnumerandum est. Ait enim: Vinandus Zonsius maculas rubras per universam cutim cum frigoris sensu, nausea et febri prorumpentes habebat, notandum interim quod maculae per thoracem, ventrem et bracchia, femora, crura, immo per faciem caputque expulsae in ruborem continuum unitumque erysipelatis forma transierint, a quibus punctione velut ab aciculis per cutim ubique percepit atque tenues inde squamulae sunt subsecutae.

Priusquam tamen manifesta scarlatinae benignae vestigia iterum cognoscimus, in Hispania meridionali praecipue et nonnullis annis post Neapoli mortifera lues grassari coepit. Anno 1580 totam Europam influenza peragravit; in Hispania, ubi ante bubonum pestilentiae erant epidemicae, locum eorum plurimi morbi cum nervoso putrido charactere occupabant, bubones gangraenosi per totam Iberiam erant vulgares, et invenimus apud Villalba (2) emendatissimae disquisitiones, an morbi tum temporis epide-

---

(1) Smetius Miscellan. med. Frkfrt. 1611. 8. p. 564.

(2) Villalba — epidemologia espanola o historia cronologica de las pestes contagios epidemias y epizootias etc. Vide annum 1580 seq.

mice grassantes pestilentia vera sint nec ne? Eo tempore anno 1581 (1) et jam antea Sevillae et in ora meridionali Hispaniae et Lusitaniae, ille morbus, qui ab auctoribus eodem tempore viventibus sub nomine garotillo (2) describitur, apparuit, qui non diversus est, ut postea demonstrandum, ab angina Anglorum maligna. Miror, quomodo acciderit, ut Mostius prima hujus morbi initia ad annum 1610 retulerit, cum tamen omnia, quae adferre potuerim testimonia, hancce pestilentiam mortiferam ante annum 1610 in Hispania mortem multis hominibus intulisse, demonstrarent. Secundum Alphonsum de Fontecha influenzam supra memoratam angina maligna sequuta est, de hoc morbo animadversiones annis 1603 et 1604 instituit; et si ad haec argumenta locos supra allatos adsumis, satis dilucide apparet hancce luem ante annum 1610 in Hispania saeviisse. Porro exhibet morbum illum ab Italis mal in

---

(1) Ab anno 1581 adnotatae fuerunt istae lues praedictae, ut affirmant quam plurimi doctores et senes magnae auctoritatis et constat ex relationibus quam plurimis. Alphonso de Fontecha, de angina et garotillo puerorum 1611.

(2) Diversissimis nominibus pro hoc morbo auctores utuntur, exempli caussa, Ulcera anginosa, Ulcera Syriaca, passio anginosa, Phlegmone anginosa, carbunculus anginosus, angina maligna et puerorum, angina pestilentialis, angina pestifera, tonsillae pestilentes, therioma faucium, Ignis sacer, Paedanchone maligna, affectus suffocatorius, laqueus gutturis, male in canna.

canna nominatum in Italia annos octo ante quam adfuit, quod Boneti (1) locus satis demonstrat, ab anno 1618 erupuit insuetus inter nostras gentes morbus etc. Mostius contendit Nolam jam anno 1610 librum de angina gangraenosa edidisse, qua in re errasse videtur: omnes enim, quos inveni, locos, cum ipso libro uti non potuerim, id demonstrant, Venetae anno 1620 ad lucem hunc librum prodiisse, quo tempore mal in canna summum attigerat gradum, quae res sententiam probare videtur hunc morbum ex anno 1618 incepisse. Describunt vero eum medici Hispanici illius temporis hac fere ratione.

Interdum pharyngis aegritudo et raucitas dolensque colli immobilitas praecipua erant symptomata, de quibus aegroti ab hoc morbo correpti conquerebantur. Interdum magna deglutiendi et respirandi difficultate cruciabantur, quibuscum nauseosus spiritus, cujus odor infensus de hora in horam increscebat, conjunctus erat. Uvulae et tonsillae et pharynx ruborem summe floridum monstrabant et quidem hicce color erat non aequalis diffusus, sed in singulis locis offerebant obscuriorem, quam aliis. Partes affectae intumescebant, tamen non in tanto gradu, ut respiratio eo difficilior redderetur. Si autem hujus morbi impetus majore cum vi aegrum invade-

(1) Boneti Sepulchreti opera. Tom. 1. p. 479.

bat, tonsillae magis intumescebant et inflammabantur, et interdum parotides et glandulae maxillares ipso quoque in principio tumore majore afficiebantur subitaneo, tanto, ut strangulationem minitarentur. Et nunc cum febris exacerbatione rubor per totum visum et collum apparebat (1). Persaepe eodem die rubatae antea oris partes albidae sensim sensimque fiebant vel cinereae vel etiam nigrae, collum vero et pharynx externe intumescebant, dum tumor ipse leucophlegmaticus in dies progrediente morbo ulterius augebatur, atque per noctem minus prospera conditione usos aegros, observatum est. Quarto autem die plerumque tumor in collo externe situs, major erat factus; albidae ulcerum crustae colorem induere coeperunt obscuriorem, partesque vicinae magis in lividum vergere. Putridus tum et corrodens ichor ex ore et naribus emanabat, spiritus hoc tempore intolerabiliter foetebat, loquelae vitium erat insigne, raucum et obtusum sonum offerebat, sed nullo modo ut in angina inflammatoria,

(1) Saepe rubores et erysipelata in hoc morbo effloruerunt cum febris exacerbatione. Mercatus, Ludov., Opera omnia 1620. T. v. De faucium et gutturis anginosis et lethalibus ulceribus. p. 134.

Per extremam manus pedisque cuticulam modo exanthematum modo efflorescentium specie prodit morbus. Bartholinus, de angina puerorum Campaniae Siciliaeque epidemica. 1653.

sed illi non dissimilis, qui oritur a venereis in faucibus ulceribus, qua de re accidit, ut facile illum morbum miro illo sonitu cognoscere possent. Respiratio nunc difficilior reddebatur, si initio non jam mutata erat et aegrotus e vivis suffocatorio modo eripiebatur (1). Omnes medici et populus ipse, tanquam laqueo constrictos mortem obire ejusmodi aegrotos haud insulse tradiderunt (2).

Hic quidem decursus cum omnium fere communis esset morborum, qui adversum exitum sortiebantur, tamen haud raro ab hac specie recedens alia scrutantibus symptomata ostendit. Namque dum alii vix respirare possunt, et alii tussi gravissima vexantur; alii soporosi sunt, vel perpetua phrenitis adest, alii stupidis similes jacent, pars etiam nimio sanguine e naribus effuso exspirant, alii subita suffocatione inopinati opprimuntur. Jam vero quorundam pharynx ad ventriculum usque, quorundam trachea ad pulmones incensa erat. Operae pretium visum est, nonnulla de ichore ex naribus et ore emanante, ut Mercatus et Cortesius de hac

(1) Quia nec exspuere nec excreare lentas et crustaceas materias possunt. Heredia, M. op. omnia. Tom. 3. p. 100.

(2) Qui hujusmodi vexabantur morbo, suffocati ac veluti laqueo constricti moriuntur, ob idque garotillo merito nuncupatur iste morbus.

Casales, de morbo garotillo appellato 1611. 4.

(3) Cortesius, Miscellaneor. medic. decad. dua. 1625 fol.

re scripserunt, adjicere; verba fere eadem sunt, quae sequuntur.

Simili ratione, ex naribus nonnullorum valde inflammatis et excoriatis continuo destillabat acerrimus ichor aut materia saniosa adeo acris, ut non solum labia, genas et manus infantium hoc morbo laborantium, sed quoque digitos et brachia ipsarum nutricum, istis inservientium corroderet. Cum haec narium accederet exulceratio, plerumque in infantibus sternutatio vix unquam cessans excitabatur, adultorum vero pauci ad minimum et ad insignem aliquem gradum ea afficiebantur. Admiratione dignum erat, quantam hujus materiae copiam per hanc viam eliminarent infantes, qui saepius istam in ore, brachiis et manibus infricantes omnem vesicis obtegerent superficiem. Non solum autem nares, fauces aliaque acerrima hac afficiebantur materia, sed ipsa quoque trachea interdum (ut supra demonstratum est) illa valde corrodebantur, et membranae ejus internae frustra cum plurimo sanguine et correpta materia exspuebantur, atque aegroti per insigne temporis spatium languescentes tandem tabe moriebantur. Saepe etiam illa materia ad pulmones delata, miseros illos infantes more peripneumoniae necabat.

Ceterum animadvertunt, neque certam hujus morbi crisin, quam vocant, esse, neque certo die certa signa existere, unde colligi possit, sitne rediturus aegrotus ad pristinam valetudinem, an dies e

obeundus sit supremus; namque nonnulli primo jam die, alii secundo, pars tertio die, omnes fere ante quartum ex hac vita abripiebantur. Superato vero quarto decimo die optimam de semetipso concipere spem licebat neque ullum ulterius periculum immi-nere credebatur. Nihilominus tamen majore temporis spatio praeterlapso inopinati moriebantur. Contra disputat Aetius Cletus (1), optima valuisse symptomata, si nuchae et pharyngis tumores non magni erant momenti, si aegrotus magnam mucosae, tenuis materiae copiam ejiciebat, si spiritus non putridus ducebatur, si non ciborum fastidio retinebatur, oculique splendorem proprium servabant.

Tum vero major medicorum numerus, siquidem morbo demum irruente advocantur, laxantibus locum esse existimant; utrum autem alvi dejectionibus an venaesectionibus (2), illa praecederent, diu multumque inter viros doctissimos dubitatum est. Atque laxantibus his usi sunt medici: Manna, Rheo, Senna, pulpa Tamarindorum et Syrupo Rosarum, ratione

(1) Aetii Cleti, opera omnia.

(2) Disputare coepimus de sanguine mittendo; nam aderant nonnulli eruditissimi viri, qui eum vituperabant. Caeterum unanimo consultantium consensu, primo die sanguinem misimus, cruribus scarificatis et mox octava noctis hora brachiis aut si ultra duos annos fuerit natus ex vena brachii; in hoc malo praecipue vereri oportet, viribus plurimum dejicere.

(Mercatus.)

imprimis habita eorum, quae aegroto adhuc supererant virium, quas mutari periculosum esse atque damnosum inter omnes convenit. Heredia, Cortesius atque Sgambatus quattuor morbo stadia tribuunt, quorum singulis singula medicamenta apta constituunt. Et in primo inflammatorio stadio, aegroto laxantia veluti acetum vini cum decocto hordei proponunt; in secundo vero ubi albida emergunt ulcera, oxymel squillae et alia remedia antiseptica; dum in tertio, ubi ulcera putrida et impura se manifestant, contrahentia et exsiccantia, ut pulvis myrrhae, aluminis crudi danda esse videbantur, quin etiam ne ab arsenici quidem usu abhorrebant; quamquam Mercatus imprimis nimis haec caustica esse existimans, plures his occisos esse quam ipso morbo pronunciat. In quarto stadio, ubi gangraena jam exstincta erat, fumus succini in os infundebatur, vel vino myrrhae et decocto ligni campechiani ad gargarismata utebantur. Quod memoratu haud indignum esse videtur, Severinus in puero septennali obducto narrat, in pulmonibus magnos caeruleo-nigros locos esse inventos, venamque cavam et ventriculum dextrum nigro cruore fuisse impleta, longe vero maximam admirationem movit, pervestigata larynx crustacea quadam pituita facie exteriore contecta, citra ulceris speciem.

Quod ad hujus epidemiae attinet aetiologiam, ut jam supra observatum est, a medicis pestis esse

credebatur, ejusque origo sicuti tum moris erat ad sidera potentioraque numina referebatur. Neque vero eadem vi fuisse omnibus temporibus hunc morbum, sed plenissima atque minima luna vehementer impetum ejus auctum fuisse confirmat Marcus Antonius Alaymus (1), id quod siderum potentiae tribuit, perditisque mixtis salsis et venenatis atomis; namque etiam pueros ait maxime esse hoc morbo compellatos atque vexatos hanc ob causam, quod tenuiori cute praediti, plus sub dio vagarentur.

Jam cum appareret, totas inter familias exstirpari, iisque praecipue locis divulgari morbum, in quae cómmeatus ex infectis oppidis imprimis patuerat, quin etiam liberos in alias terras delegatos, quamdiu remoti essent, integros remansisse atque intactos hac calamitate, simulac vero redissent, hoc morbo affectos esse, facile ut contagiosum esse crederent, homines adducti sunt. Neque ab re esse videtur huc adjecisse primum quidem ubi morbus locum aliquem invasit gravissimum fuisse neque aetati neque sexui pepercisse, donec languescente paullatim pristina vi atque priore impetu, posteris temporibus vel omnino evanuit vel certe ea existimabatur, in quam acrius incumbere operae haud pretium esset. Ex his quae modo diximus, si minus intelligitur rubore scarlatinoso (propria hujus vocis significatione)

(1) Alaymus, consultatio pro ulceris syriaci nunc vagantis curatione. 1632. 4.

stipatum hunc morbum prodiisse in publicum, at profecto id satis firmatum esse videtur ruborem erysipelatosum per pectus et collum persaepe diffusum fuisse; atque hac in re momentum non spernendum mihi nobis positum esse videtur ad historiam hujus morbi illustrandam, quoniam quae in Anglia fuisse exhibetur angina maligna, iisdem fere symptomatibus insignita erat. Quamobrem Fuchsii mihi videtur probanda sententia, dicentis inepte fecisse Mostium, quod in garotillo exanthema scarlatinosum, eodem quo supra diximus sensu, esse contendit, neque vero exinde omnino non deduci potest, non fuisse hunc morbum febrem scarlatinam majore vi irruentem in homines. Hic quem modo descripsimus morbus cruentissimus per quadraginta annos peninsulam Hispaniam peragrabat atque ex anno 1598 quotannis retro pedem vertens, crescente in dies furore imprimis Placentiae circa 1605 saeviebat, unde ad 1610 per Granadam et Andalusiam et Estremaduram profusa ad annum usque 1613 tantam est nactus celebritatem, ut annus iste infaustissimus anno de garotillo sit appellatus. Neque vero diutius quiescendum, penes quos tum summa rerum administratio erat, putaverunt, sed a medicis postularunt, ut quomodo optime atque celerrime huic pestilentiae occurrendum esset, responderent. Neque aliter oppido Chiaja haud procul a Neapoli sito res gestae sunt, unde pestilentiae hujus incendium per totam Italiam

efflagravit. Eadem aderat respirandi et deglutiendi difficultas, ichor corrodens sanguine mixto ex ore et naribus immensa quantitate destillabat, et haud raro haec morbifica faucium et pharyngis mutatio usque ad tunicam Schneiderianam sese extendit. Severinus praeterea narrat, ut medici Hispanici tumorem glandularum colli, rubores in genu et pectore et omnia alia symptomata eadem cum vi et ordine observata esse. Auctor nobis est Carnevale Neapoli per biennium circiter 50,000 homines morbi impetu esse oppressos. Quod contra Francesco de Nola, qui diligentissime atque exactissime historiam ejus morbi Neapolitani tradidit, aetate provectos dicit rarius hujus morbi contagio affectos esse, dum ii, qui haud satis firma corporis valetudine temperamentoque humido uterentur et imprimis infantes saepissime in discrimina vitae adducebantur, atque in perniciem ruebant; tum vero etiam observatum est, singulas domus quamvis contactas non eodem impetu morbum invasisse. Atque huic testimonio eo major auctoritas videtur esse tribuenda, quod cum hac ejus narratione omnino fere conveniunt, quae de Sicilia M. Ant. Alaymus scripsit. «Morbus non totam civitatem, verum nec dimidiam nec centesimam partem hominum, sed puerulos paucos et ex his utplurimum cacochymos et male curatos exanimat.»

Eodem anno, quo Neapoli male in canna sac-

vire coepit, Daniel Sennertus (1), Professor Wittenbergensis, scarlatinae mentionem fecit. Differentiam a morbillis accurate descripsit et ex eadem caussa in capite de variolis et morbillis pertractavit. Ex tota descriptione, quam retulit, patet sine dubio certe fuisse scarlatinam et quidem bilioso-inflammatoriam. Maculae inquit rubrae et quasi ignitae cum vix effatu digno tumore per universum corpus, quasi quaedam parva erysipelata erumpunt in principio, seu morbi die quarto vel quinto. In hoc statu vero universum corpus rubrum et quasi ignitum apparet, ac si universali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminuitur et maculae rubrae latae ut in principio iterum apparent, quae tandem septimo vel nono die evanescunt, epidermide squamarum instar decidente. Malum hoc vero grave ac periculosum et saepe lethale est. Nam calor est ferventissimus sitis inextinguibilis, et plerumque pulmonum (unde tusses excitantur), faucium et aliorum viscerum inflammationes, deliria et alia mala urgent. In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem et ruborem, ut in arthriticis excitat; cutis squamarum instar decidit, mox pedes ad talos et suras usque intumescunt; hypochondria laeduntur, respiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumescit, aegrique non sine magno labore et post longum tempus in pristinam sanitatem resti-

(1) Daniel Sennert, opera omnia. Lib. IV. p. 512.

tuuntur, saepe etiam moriuntur. Simili plane modo Doeringius scarlatinam, quae Varsoviae fuit, aeque accurate ac socer ejus Sennertus describit, et praecipue, qui morbi secuti sint, explicat. Qua in expositione postremo sic disserit: Hypochondria tenduntur primum et respiratio difficilis redditur: paulo post abdomen ipsum in tumorem attollitur; isti autem non nisi magno labore et post multas demum septimanas ceu hydropici incipientes ad pristinam sanitatem deducuntur. Apposui autem locum, ut Doeringium commemorare quidem, qui morbi sequantur scarlatinam, non tamen, ut Villanus vult, primum de ea re loqui demonstrarem.

Anno 1620 Romae scarlatinae epidemiam exortam esse Prosper Martianus (1) narrat; quae de hac Romana clade memoriae a Martiano tradita sunt, haec fere sunt: exanthema singulis quibusdam rubris ignique similibus efficiebatur maculis, quae non omnes eadem magnitudine, elataque paullatim supra cutim moleste urebant. Accessiones febriles, quae antecedebant, nou vehementes erant, saepeque cum eruptione exanthematis evanescebant; morbus ipse vulgaris quidem erat, sed non perniciosus, ut Martianus monet. Ait enim experientiam docere nullum fere ex Rossalia interire, et nisi miraculo quodam et ob errata maxima, quae aut ae-

(1) Prosper Martianus; magnus Hippocratis Cous natationibus explicatus. Romae 1626. f. P. 308.

gri committant aut medici potissimum vero sanguinem mittentes. Ex descriptione pro illis temporibus satis accurata Sennertus, de Haen et Pfeufferus aliique scarlatinam esse arbitrantur, et si quomodo scarlatina plerumque appareat, consideres, tria ejus genera hac aetate in Italia et Hispania conjungi videmus, quod maxime noceat, anginam malignam seu male in canna, ubi exanthema satis appareat, conjunctum cum angina, denique hocce modo depictum, benignum. Nonnullis annis post 1628 scarlatina, quae Vratislaviae observabatur, imprimis juvenilia corpora rubris igni similibus maculis aspersit, quae mox in ruborem universum diffundebantur. Septimo fere die incipiebat exsquamatio, hydrops universalis sequebatur. Affectas fuisse fauces scriptores non narrant, non multos tamen homines perisse.

Necessarium hic erit caussas afferre, cur garotillo ac morbum, qui vocatur male in canna, ad scarlatinae genus adnumerandum esse arbitrer, quum nunc praecipue a Fuchsio contendatur, nullum scriptorem, qui ea de re agat, exanthematis mentionem injecisse, quod ei, quod in scarlatina deprehendatur, simile sit. Jam prius dixi efflorescentiam, quae conjuncta sit cum scarlatina maligna plerumque non universam esse nec satis posse animadverti: itaque facile poterat negligi a scriptoribus; qui minus, quae ipsi sint experti, accurate velint colligere ac describere, quam quae veteres de similibus

morbis dixerint, in disciplinaeque formam redigere sint conati, exscribere et divulgare. Bene enim Fothergillus maluisse eos errare cum Galeno quam sua ipsorum ratione et acumine confidere dicit. Eandem esse scarlatinam malignam ac garotillo non modo negantibus argumentis videtur posse demonstrari, sed testibus Mercato et Francesco de Nola uti licet. Ambo describunt scarlatinae exanthema sub nomine tum vulgari erysipelatis, amboque id frequenter conjunctum apparere cum garotillo observarunt. Describens enim historiam morbi virginis Deo sacrae haec fere dicit: Correpta est febre, non admodum intensa, sed variis horroribus implicita et intermissa ac toties recalescente, cum capitis dolore intenso et viscerum maxime juxta ventriculum in parte ejus dextra, molestissima sensatione, qua fere animo videbatur deficere. Tertio die ab his accedentibus, faciem coepit occupare et gutturis dextram partem, rubor plurimum saturatus, citra evidentem tumorem. In sequentibus manet ac mox febris increvit et thoracis a cervice ad mammas extimam regionem apprehendit rubor. Quum primum rubor erupit, bis terve sanguis venis missa est, id, quoties redibat, repetitum. Placuit historiam hujus illustrissimae foeminae hac in parte recensere, cui consimiles jam conspeximus alias, maxime in coenobio St. Laurentii Hiscoralis, tam intus, quam in habitiunculis extra ipsum. Hunc locum satis ar-

bitror demonstraturum, Mercatum, quum febris antecederet, tertio die, ut vulgo est, exanthema erumperet, veram vidisse scarlatinam, quae, nisi ut nunc opinamur, prave curata esset, fortasse feliciter abiisset, qua autem re etiam, quae Fuchsius objecit, satis refutata esse existimo. Francesco de Nola hanc fere ejus morbi exhibet descriptionem, e qua potissimum sumo.

1) Anno 1616 quum diu continuo pluvii atque imbres fuissent, lues quaedam animalia invasit.

2) Sequenti anno erant fluxus ventris; variolae et morbilli permulti ad aestatem usque; et erysipelata, tum maxime in humidioribus.

3) Dum haecce exanthemata durabant, hic morbus vere anni 1618 infantes corripere, autumnoque ejusdem anni admodum maligna fieri incepit. Quum primum apparuit, adultos tantum homines erysipelate vexavit. Erat ali malignus morbus, alteri benignus fereque toto coelo ab altero diversus.

Quod, si quas res colligimus iterum comprehendimus, haec fere satis facile videntur effici: veteres non nosse exanthema scarlatinosum, apud Arabes tamen aliquid, quod ei sit simile, describi, conjicique satis probabiliter tum jam fuisse scarlatinam. Initio demum anni 1500 et postea certa ejus vestigia in Italia, Germania australi, Galliaque inveniri patet, tamen nondum adeo erat exculta, ut morbus fieret lues, populumque redderet attentum. Extremis

viginti saeculi decimi sexti annis in Hispania varios morbos, qui notum illum nervoso putridum characterem prae se ferant, grassari invenimus, una cum pestilentia, variolis, morbillis typhoque, terrorem per egregiam illam terram ferebant, quae mox novis terris detectis, Europam ad humaniorem cultum excitavit. Una cum illis epidemiis exanthemata erysipelata exstiterunt, quae ut medici ipsi concedunt, postea mutata natura alio plane modo apparuerunt. Quae cum ab vere usque ad auctumnum grassata essent, morbus adhuc ignotus invasit homines. Qui erat tum mos, medici statim veteres scriptores perscrutantur, inque Aretaeo et Aetio similem fere inveniunt morbum, ad quem continuo curationem instituunt. Cujus descriptio sententiis hominum, quales erant eo tempore, est accommodata; multa quidem eaque gravia omitti excusari potest, quum uti usque ad hoc fere tempus erat doctrina exanthematum fere omnino non exculta esset. Originem autem morbi si spectamus, eandem fere fuisse inveniemus, ac qua nunc scarlatina in epidemiam transeat. Antecedebant, ut supra est narratum, varia genera erysipelatis, quae cum singulari quadam nobisque non satis nota aëris constitutione, quae maxime vere et autumno esse videtur, cohaerent, scarlatinamque exprimunt effigie minus exculta et perfecta, et tanquam fundamentum ad scarlatinam maxime expressam porrigunt. Quam tamen postea formam

induat morbus, id a natura coeli regionisque dependet. Hispania et Italia eadem fere gaudebant coeli temperatione, qua ex re eandem gravitatem notam, nervoso-putridum characterem, fauces morbo affectas, ulcera celerrime formata, exanthemata, cui ob magnitudinem mali progressumque rapidum non est tempus excoli, passim erumpentia, homines satis multos abreptos, omnia fere reliqua in epidemia, quae illas terras vastavit, communia esse reperies. In Germania contra septentrionali Poloniaque, ubi quae fuerit tempestas est nobis quidem ignotum, tamen memorabile aliquid videtur non accidisse, scarlatinam magis benignam fuisse, observamus. Quibus satis mihi videor refutasse Fuchsium, qui omnia illa, quae supra dixi, quum erumperet garotillo, non adfuisse narrat.

VITAE CURRICULUM.

Ego Fridericus Ludovicus Augustus Beilschmidt die mensis Julii VI. anno MDCCCIX Postampii patre Christiano Beilschmidt praeceptore, matre Charlotta e gente Marvediana, quos parentes dilectissimos jam ex longo tempore morte mihi ereptos lugeo, natus et christiano cultui secundum Lutheri formulas addictus sum.

Primis literarum imbutus rudimentis anno MDCCCXX, Gymnasium Postampiense, quod tum

Rectore optimo, Buettner florebat, petii; ibique novem per annos iis incubui literis, quae ad academiam muniunt viam.

Anno MDCCCXXIX examine abiturientium rite superato testimonio maturitatis munitus, civibus instituti regii medico-chirurgici Friderici Guilelmi adscriptus sum. Per quadriennium utriusque medicinae studiis me tradidi, hisque illustrissimorum virorum praelectionibus et exercitationibus clinicis interfui:

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice, toxicologia; Ill. Schulz de botanice; Cel. Turte de chemia, pharmacia et physice; Beat. Hermbstaedt de pharmacia et chemia; Beat. Knape de osteologia; Ill. Schlemm de splanchnologia et de syndesmologia; Cel. Eck de physiologia; Beat. Rudolphi de corporis humani anatomia, anatomia foetus humani et organorum sensuum, de entozois, de physiologia, nec non de medicinae methodologia et encyclopaedia; Beat. Knape et Beat. Rudolphi in cadavera dissecandi arte me imbuerunt; Ill. Horn de pathologia speciali et de syphiliticis, vesaniisque morbis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et de medicina forensi; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, de arte fascias applicandi; Ill. Kluge et Cel.

Juengken de akiurgia; Cel. Juengken de chirurgia generali et speciali; Cel. Dieffenbach de herniis audivi; Cel. Hecker Celsi de medicina libros mihi iuterpretatus est.

Exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels, Truestedt, Wolff; chirurgicis Ill. de Graefe, Rust, Dieffenbach; ophthalmiatricis Ill. de Graefe et Cel. Juengken; obstetriciis Ill. Kluge interfui.

Quorum nomina, quum omnium eruditorum sermone ac ore celebrentur, verendum est, ne si ego eos laudare susciperem, detrahere plus eorum laudibus quam addere videar. Studiis peractis per novem menses medici inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi functus sum atque adhuc fungor.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Emetica nulla re nisi gastritide contraindicari.
2. Sectio conica, ubi omnino locum habere potest, in amputatione ceteris operandi rationibus praeferenda.
3. Omnes mentis morbos a vitiis organicis pendere.
4. Quod in allopathia hirudo medicinalis, in homoeopathia pulex efficit.